



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Oratio. Pro beneplacito Dei perficiendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Domine, tu scis qualiter melius est: fiat hoc, vel illud, sicut volueris.

Da quod vis, & quantum vis, & quando vis.

Fac mecum sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & major honor fuerit.

Pone me ubi vis, & libere age mecum in omnibus.

In manu tua sum; gyra, & reversa me per circuitum.

En servus tuus ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi; yutinam digne & perfecte.

ORATIO.

Pro beneplacito Dei perficiendo.

I. **C**oncede mihi benignissime Jesu gratiam tuam, ut mecum usque in finem perseveret.

Da mihi hoc semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est & charius placet.

Tua

Tua voluntas mea fit: & mea voluntas tuam semper sequatur, & optime ei concordet.

Sit mihi unum velle, & nolle tecum: nec aliud posse, velle, aut nolle, nisi quod tu vis, & nolis.

2. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt: & propter te amare contemni, & nesciri in hoc seculo.

Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, & cor meum in te pacificare.

Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura, & inquietata: *In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno summo æterno bono, dormiam, & requiescam.*

CAPUT XVI.

Quod verum solatium in solo Deo est querendum.

I. **Q**uidquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meum, non hic expecto, sed in posterum.

Quod si omnia solatia mundi solus